



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

Circa quartum Præceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

Circa Quartum praeceptum.

P R I M U M peccat, qui carnales *parentes* non honorat in tribus, quæ illis debentur: *primum*, si non exhibeat illis reuerentiam & obseruantiam aut de illis absentibus malè loquatür; *deinde*, si in rebus licitis non obediatur mandantibus; aut violenter, & minus reuerenter resistat reprehendentibus aut punientibus; denique si eos non alat, & in necessitate constitutos nõ adiuuet, siue ex proprijs suis necessaria subministrando, siue per seipsum in infirmitatibus constitutis inferuendo, & in suis calamitatibus eos cõsolado; aut si vltimam eorum voluntatem in testamento, siue aliter expressam non exequatur: aut si negligat Deum pro illis orare. *denique*, si eos oderit; aut mortem eorum desideret, hereditatem adeundi causa; aut propter aliquem alium finem: & econtrà si ita nimium eos diligit, vt propterea negligat, quæ Deus iubet; aut, vt faciat, inspirat.

D E I N D E peccat in Patres spirituales & Superiores Ecclesiasticos & seculares, si in alijs tribus obligationi suæ desit. quia sc. minus reuerenter, & obseruanter cum eis agit, & de absentibus, aut etiam presentibus malè loquitur; aut si eorũ præceptis, legibus, & pragmaticis Iustis nõ obtèperet, nec monitis & correptionibus acquiescat: nec seruet regulas & statuta maiorũ iuxta suum statum; aut denique si eos non adiuuet rebus illis, ad quas tenentur: reddendo sc. Ecclesiasticis constitutas decimas Dominis verò secularibus tributa, & vectigalia; aut reliqua, quæ illis debentur; & si fidelitatem suis dominis debitam non seruet in ijs rebus, quæ sunt ipsi cõmissa: citque grauius peccatum quando defectus hic in ijs admittitur, quæ pertinent ad cõmune bonũ Ecclesiæ, reipublicæ, ciuitatis, religionis, aut familiæ, cuius ipse est membrũ. Et vniuersim peccat, qui se gerit irreuerenter erga Seniores in aliqua dignitate cõstitutos, & qui in suos benefactores se ostedit ingratum.

T E R T I O peccat ipse parës & superior, qui officijs & obligationibus suis erga filios & subditos non satisfacit, si eos odit, aut nimium diligit, si nimis asperè tractet, aut nimis eis indulgeat, si nõ doceat illos, quæ facere debent; aut nõ puniat, cũ delinquunt, aut in necessitatibus eis nõ subuenit, aut infirmos negligit; si eos nõ abstrahit à prauis socijs, & occasionibus, aut malo suo exèplo illos ad malum prouocat, aut eorum opera ad res prauas vitur.

H I c etiam est locus peccata exprimendi contra *quatuordecim opera misericordiae*, quæ in necessitate cõstituti exhibere tenemur, hoc enim nomine, quod illi in tali sint necessitate cõstituti, nos verò possimus illis subuenire, censetur quodammodo illis superiores: ac proinde, si quis hoc officium, cùm possit præstare, negligat, peccat. Verbi gratia, si non visitet aegrotos, non suscipiat peregrinos, & ab alijs desertos, si non corrigat errantes & similia, quæ commode facere potest.

1.
Parentibus
reuerentia.

Obediencia.
Amor debetur
ordinatus.

2.
Magistratus.

3.
Parentum
peccata.

4.
Opera misericordiae.